

Franckesche Stiftungen zu Halle

Ad Inavgvrationem Solemnem Dvorvm Recens Vocatorvm Scholae Saldriae Collegarvm, Rectoris, Viri Plurimum Reverendi, Clarissimi Atqve Doctissimi Domini ...

Thal, Andreas

Brandeburgi, [1732?]

VD18 13485075

Abschnitt

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-197550



Erum humanarum moderato-
rem & gubernatorem sanctissimum
& adorandum numen omnibus in
rebus & actionibus hominum non
tam externos actus, quam internos
animi motus respicere; omnibus,
quibus aliqua mentis sanitas est, ita
patet, ut hæc res nulla indigeat dis-
putatione. Rationi enim sibi re-
lictæ hæc aliquo modo etiam patent, sed revelatio divinitus
facta perspicue tradit ea. Innuitur hoc verbis divi Pauli
instinctu Spiritus Sancti prolatis, (a) quibus adfirmat, le-
gem esse spiritualement: quo effato monemur, legem divinam
non tantum externis violari actibus, sed & interioribus animi
sensibus atque motibus pravis, & contra legi divinæ non
satis fieri opere, quod dicunt, operato & externo, sed requiri
adfectus cordis interiores. Hæc, quæ de omnibus divinis
legibus vere dicta sunt, si ad quartum applies præceptum
satis aperte evincunt, interiores animi affectus requiri, si ea
servare velimus, quæ hoc præcepto liberis præscribuntur.
Cum vero liberorum nomine non solum intelligantur ii,
qui a parentibus in hanc editi sunt lucem; sed ii præterea
omnes, qui a parentibus curæ institutioni & disciplinæ Ma-
gistrorum & Præceptorum ad efficiendam, formandam atque
conservandam vitam spiritualement traditi sunt: hi merito &
maxima cura in id incumbere debent, ut filiali erga Præ-
ceptores instructi, & ornati sint affectu. De quo filiali affectu
Discipulorum erga Præceptores suos pauca adferemus.

Fons & scaturigo hujus filialis discipulorum erga Præcepto-
res affectus est timor Domini sincerus, sive affectus filialis

X 3

erga

(a) Rom. VII. v. 14.

erga Patrem Domini nostri Jesu Christi, quo per lavacrum regenerationis merito Christi fide apprehenso donati sunt discipuli in scholis Christianis. Nam disciplinæ & institutionis scholasticæ Christianæ subiecta sunt, vel saltem esse debebant discipuli regeniti: omnes enim gratia divina salvi facti per baptismum in ejusmodi statum gratiæ constituti sunt, in quo si permanserint, pater cælestis adfectu & paterno suo favore ita eos prosequitur & amplectitur, ut gustu & sensu hujus favoris magis magisque ad imaginem Domini Jesu Christi formetur & renouentur, & hujus indolem & animum induant, de quo satis constat, ipsum adfectu filiali erga patrem cœlestem semper flagrasse, omniaque ipsius opera & verba ex fonte hoc tanquam rivulos promanasse. Cujus vitam sedula imitatione quotidie melius effingere & exprimere omni labore & cura contendunt discipuli regeniti. Si igitur tales discipuli in scholis Christianis sic animati corda sua DEO patri, hæc serio expetenti, (b) tradiderint, viisque ipsius, quæ semper sanctæ sunt & ad sanctitatem veram ducunt, ita oblectentur, ut ad præscriptam voluntatis divinæ normam vivere & omnia peccata vitare serio conentur, ex hoc interiori animi statu DEO pergrato adfectus filialis erga Præceptores certo accendetur, atque indies magis magisque corroborabitur. At enim, ut nunc plurimorum conditio discipulorum est, quod gravissime dolendum, rari inveniuntur, qui in statu gratiæ perstiterunt, aut si exciderint eo, recuperare conentur eum, & se ad imaginem Christi denuo formare patiantur. Quare non mirandum, si pro adfectu isto filiali regnet furor & petulantia; pro libertate ea sancta, cujus proprium est, ita vivere, ut DEO patri sanctissimo justissimoque placet, misera captivitas. Oritur deinde affectus filialis discipulorum erga Præceptores ex digna Præceptorum & muneris ipsorum gravitatis consideratione. Patrum nomen enim Præceptores gerere eoque ornari, sacræ litte-

(b) Proverb, XXIII. v. 26.

litteræ æque ac profanæ historiæ aperte tradunt. (c) Si ergo Parentes, quibus ex beneficio Creatoris vitam naturalem debemus, & per quos DEUS nobis varia vitam hanc spectantia exhibet beneficia, ideo juris naturæ dictamine, omni adfectu filiali, honore, obsequio prosequendi & colendi sunt; sana ratio nobis dictitat, eos quoque pari immo majori afficiendos esse honore, quorum cura & institutione efficitur, ut vitam feliciter beateque agere possimus. Quam ob causam Alexander lumine naturæ adductus libere profitebatur, se multo plura Magistro, quam Philippo patri debere, propterea, quod ab hoc solum haberet, ut more reliquorum animantium, ab Aristotele demum, ut secundum virtutis regulam & actiones suas institueret, & feliciter viveret. (d) Quando vero iis, quæ ex lumine naturæ satis patent, ea, quæ ex divina summi Numinis revelatione & ordinatione de filiali discipulorum erga Præceptores adfectu haberi possunt, adduntur, eaque digne ad animum revocantur, necesse est, ut discipuli in scholis Christianis ad ejusmodi animum erga Præceptores induendum & adsumendum Spiritus Sancti gratia adjuti fortiter excitentur.

Si igitur discipuli, sensu & spiritu Jesu Christi animati, adfectuque genuino sive amore sincero, per regenerationem erga Præceptores suos donati sunt, hujus adfectus ea est conditio atque natura, ut flectet atque inflammet potissimum animos discipulorum interne, ad amandos Præceptores. (e) Verum enimvero non perpetuo latet iste amor in animis quasi occultus, sed se exserit & prodit ipso

X 3

poe-

(c) 2. Reg. II. v. 12. Cap. IV. v. 1. Cap. XIII. v. 14. In regno Chinæ usitatum & receptum esse adserunt itineraria, si quis vel unum diem in schola Præceptoris cujusdam publici traduxisset, illum deinde obstrictum esse, ut per totius vitæ spatium Præceptorem istum veneretur & patris adpellatione honoret.

(d) Conf. Edm. Richerii Obstetr. anim. Cap. III. §. 7.

(e) Conf. F ab. Quint. Libr. II. Cap. X.

opere, scilicet honore & obsequio. Patrum nomen & curam gerunt Præceptores, Parentum loco ergo sunt habendi. Cumque Deus non solum præcipiat, ut prosequamur Parentes amice, sed eos etiam honoremus, quia ipsis aliquem Majestatis suæ characterem impressit & eo ipso quasi juxta se eum in finem collocavit, ut maximo in honore habeantur, ipsisque reverentia præbeatur verbis placidis & gestibus decentibus. Maxime vero adfectus ille genuinus, qui discipulos decet, probatur obsequio. Cum enim a Præceptoribus, Patrum loco discipuli sæpius monendi ideoque hortandi sint, quæ adhortationes & admonitiones ex verbi divini fontibus desumantur, discipulorum genuino amore ornatorum officium est monitis Præceptorum quam lubentissime locum dare & morem ita gerere, ut ea quæ secundum verbi divini normam jubentur, quam lubentissime exsequantur, ea vero quæ interdiciuntur, serio vitent, atque effugiant. Precibus quoque ardentibus pro Præceptorum salute fusis genuinus declaratur amor. Cum enim rari laborum scholasticorum inveniantur aestimatores, DEUM implorent, ut ipse remunerator Præceptoribus beneficus esse velit. Denique genuinus & filialis discipulorum erga Præceptores adfectus in tuenda & conservanda horum fama manifestatur & declaratur. Cum enim perverforum & deperditorum discipulorum indoles ita sit comparata, ut quam sæpissime Diaboli instinctu adaçti lubentes famam Præceptorum lædant, eique detrahant, piorum discipulorum animus a peccato hoc gravi magnopere abhorret, nec famam Præceptorum violari patitur; sed potius in id incumbit sedulo, ut famam bonam & honorem Præceptorum fidelium pie tueatur, & tanta eorum beneficia quovis modo remuneretur. O felicem scholarum statum! O felicem discipulorum eorum conditionem, qui semper omni cura & diligentia spiritus sancti gratia adjuti id agunt, ut genuino & sincero adfectu Patrem coelestem nec non Parentes, & qui Parentum loco habendi, Præceptores, nunquam non prosequantur.

Maxi-

Maximo quoque Præceptoribus, pro salute discipulorum curam paternam gerentibus cedit solatio, si eam ob causam quasvis molestias perferentes perferant, discipulos genuino erga se flagrare amore, curæque paternæ adfectum ipsorum respondere filialem.

Saldria nostra multis ab hinc annis, ex ineffabili summi Numinis gratia Præceptores paterno affectu & cura paterna erga Discipulos instructos habuit, adhuc habet, & fecundante summo Numine habebit. His merito annumerandi sunt duo de schola nostra quidem bene meriti, sed eam jamjam relinquentes. Discessit scilicet nuperrime ex schola Saldria fato suo functus, quod graviter dolemus, Vir Plurimum Reverend. Clarissimus atque Doctissimus,

JOH. GEORGIUS WIDENMANNUS,

Concionator Præsidii Regii & Rector Scholæ Saldriæ fidelissimus, qui, cum viveret, pro Ecclesia & Schola curam semper gessit paternam. Relinquit munus scholasticum Con-Rectoris, quo per annos duodecim fidelissime functus est valedicturus jam Plurimum Reverendus Doctissimus atque Clarissimus Dominus ERNESTUS

VICTOR SPRENGELIUS, ad munus Ecclesiasticum Sub-Diaconi ab Amplissimis & Spectatissimis Patronis rite vocatus. Hunc quoque cura & adfectu Paterno donatum fuisse, quis est, qui neget? Horum in locum jam succedunt duo novi Collegæ rite vocati & jam inaugurandi, de quibus documentis & testimoniis satis firmis freti certo affirmare possumus, ipsos amore paterno erga discipulos gratia divina dante flagrare. Antequam autem hi solemniter jussu Patronorum inaugurabuntur,

Plurim. Reverendus Doctissimus ac Præclarissimus
ERNEST. VICTOR SPRENGELIUS,

Scho-

Scholæ nostræ valedicturus orationem habebit.

De ætatis nostræ signis. Quam orationem excipiet mea inauguralis *de cura Præceptorum erga Discipulos paterna.*

Postea recens constitutus Rector **BRANDANUS FRIDER. MYLIUS**, orationem habebit *de Meritis Caroli Magni in rem scholasticam.* Simulque novum Con-Rectorem inaugurabit.

Denique novus Con-Rector, Clarissimus & Doctissimus **LUDOVICUS CHRISTIAN. VOCKERODT**, *de linguarum studio sacro Christi cœtui fructuoso disseret.*

Habitis orationibus duo aderunt cives Saldriæ, qui pro relinquire, & pro capeffentibus munus scholasticum versibus germanicis preces fundentes, Scholam Saldriam summi Numinis providentiæ & clementiæ commendabunt. Cui actui solemnî, ut Mæcenates generosissimi ac strenui, Patroni spectatissimi atque amplissimi, Fautores bonarum litterarum dignissimi, Collegæ Ministerii Ecclesiastici & Scholastici honoratissimi, omnesque rei litterariæ amatores & fautores interesse benevole velint, submisisse & peramanter rogamus, simulque ad eum cives litteratos, Saldriæ nostræ faventes, & juventutem bonarum artium studiosam humanissime invitamus.

P. P. d. 13. Novembr. MDCC XXXII.